

DE
**ERYSIPELATE NEONATO-
TORUM POST VACCINATIONEM.**

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA

QUAM
AUCTORITATE GRATIOSI MEDICO-
RUM ORDINIS

IN
UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI,
UT GRADUM
DOCTORIS MEDICINAE

RITE ASSEQUITUR,
LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

A U C T O R
Fridericus de Wuerst,
PETROPOLITANUS.

DORPATI LIVONORUM.
TYPIS J. C. SCHUENMANNI,
TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCCXXXV.

IMPRIMATUR

hæc dissertatio ea tamen conditione, ut simulac typis fuerit excusa, quinque ejus exempla collegio libris explorandia constituto tradantur.

Dorpati Liv. d. III, m. Sept. a. MDCCCXXXV.

Dr. A. HURCK,

O. M. h. t. Decanus.

L2.500

VIRO ILLUSTRISSIMO

**QUI PRIMUS ROSSORUM ORBEM TERRARUM
CIRCUMNAVIGAVIT,**

PATRIS DEFUNCTI AMICO SINCERRIMO,

A. J. DE KRUSENSTERN

**IMPERATORIS ET AUTOCRATORIS ROSSICI PRAE-
FECTO CLASSIS, INSTITUTI, QUOD JUVENUM REI MARI-
TIMAE STUDIOSORUM ERUDITIONI DICATUM EST,
DIRECTORI, EQUITI ORD. AQUILAE ALBAE ET RU-
BRAE, ST. ANNAE PRIMAE CL. CUM CORONA, ST.
VLADIMIRI SECUNDAE CL. ALIORUMQUE, ACA-
DEMIAE IMPERATORIS SCIENTIARUM SOCIO HONO-
RARIO, MULTARUMQUE ALIARUM QUAE IN EURO-
PA FLORENT SOCIETATUM DOCTAREM SODALI.**

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS OFFERT

OMNI QUA PAR EST OBSERVANTIA

AUCTOR.

PRAEFAMEN.

De argumento quodam ad dissertationem inauguralem conscribendam mihi consilia petenti, clarissimus Doepp, hospitii infantum expositorum medicus supremus, erysipelas neonatorum, quale post vaccinationem intrat, observare suavit. Viri hujus eruditissimi comitate, propter quam summas ei ago gratias, mihi ipsi observationes nonnullas instituere contigit. Pari modo permulta debeo ejusdem nosocomii medicis, experientissimo Schubertzky, morte praematura nobis nuper erepto, qui observationes, quas anno 1831 instituerat, mihi tradidit, atque viro doctissimo Höft, qui una cum aliis majoria momenti annotationibus de neeroscopia nonnulla necum communicavit. Nec denique abstinere possum quin grato animo amatissimum nomen sororis maritum, quem laudibus extollere me dedecet, cl. Lichtenstädt, qui cum in omnibus vitae obstaculis, tum in hac dissertatione componenda, quamquam ipse se morbum non observasse profitebatur, magnopere consiliis me adjuvit.

Dissertationunculam ipsam velim animo benigno dijudicet lector. Quae a viris doctissimis supra nominatis audiui, mente intenta suscepi, quae ipse vidi, accurate notavi, quae legi cum observationibus comparavi. Perpauca tamen in auctoribus de hac erysipelatis neonatarum causa inveniuntur; scripta cl. Girtanner (1), Rosen de Rosenstein (2), Chambon (3), Fleisch (4), Henke (5), Carus (6), Neumann (7), Underwood (8), Joerg (9), Wendt (10), Feiler (11), Rau (12), Heyfelder (13), Reddelien (14), Pieper (15), Krauss (16), Meißner (17), encyclopaedia virorum illustr. Busch, Graefe, Hufeland, Link et Müller (18), chirurgia cl. Rust (19), summa cura perquisita nihil offerebant. Cl. Billard (20), tamen Parisiis similia observaverat, nostra in urbe cl. Harder (21), *) Lerche et Weißse.

*) Afferit cl. Harder observationes virorum doctorum Wollaston, Griffith, Pearson, Croft, Maddock et Clutterbock, litteris mandatas in „London medical and physical Journal, vol. VI.“; quas, quamvis perlegere mihi non contigerit, notandas tamen esse censeo.

DIAGNOSIS MORBI.

Diebus post vaccinationem a secundo ad sedecimum usque e locis puncturæ aut circa pustulas jam formatas rubor inconsuetus, erysipelatosus exoritur, intumescencia initio sæpius modica. Descendit inflammatio *) inde plerumque per brachium ad summos interdum digitos, aut annulo rubro circum articulum cubiti formato finitur. Expanditur simul morbus in humerum, atque hinc, quasi via partita, dorsum et pectus petit. Hæc tam in utroque brachio, tum, et quidem sæpius, in uno sunt, ex quo in alterum brachium morbus transire solet, eundem in illo perficiens decursum; pustulis igitur initio morbi veluti focum formantibus progreditur inflammatio. Posthac aut simul omne dorsum, regionem ossis sacri, ossium ilei atque

*) verbum inflammatio, quo hoc loco plerisque aliis utor, latiore sensu accipiendum est, cum genus erysipelatis ad inflammationes $\kappa\alpha\tau'$ $\epsilon\lambda\epsilon\gamma\chi\alpha\iota$ pertinere certo contendere nolim.

clunes, rarius parietes abdominis ac pudenda morbus occupat. Transgreditur tum in femora, in quibus eadem conditione, qua in brachiis, ad digitos usque prodit. Nec vero morbi decursus hoc loco semper finitur; afficitur enim interdum subito caput, praesertim facies, aut reiteratur erysipelas in brachiis aut in pectore aut quocunque alio loco.

Rubor, sicuti in omni erysipelate, pervariatus est, tum mitior, areola pustularum quasi diffusa, tum magis saturatus, tum in colorem coeruleum, tum in flavum abit. Idem de tumore, qui modo vix percipitur, modo gravissimus est, cute quammaxime extensa, modo perdurus, membri affecti motum impediens, modo satis mollis, immo in speciem oedematosam abit digitique impressionem conservat. De dolore, cum nisi in infantibus neonatis non observetur morbus noster, nihil certi notandum; permodicum tamen eum esse verisimillimum, cum infans primis diebus nec inquietus nec omnino aegro similis sit.

In hoc externo erysipelatis decursu, quocunque versetur loco inflammatio, morbus aut exitu pervario, alio loco accuratius perlustrando, finiri, aut totum corpus sibi subicere i. e. naturam morbi universalis assumere potest. Primo enim initio erysipelas e vaccinatione exortum semper morbus localis; elucet hoc e maiore numero morbi hujus observationum, quac ipsum eodem fere loco, quo exsultat, circum pustulas, per remedia apta aut sponte, extin-

qui docent. Symptomata vero affectionis totius corporis, quae auctores, qui de erysipellate neonatorum disseruerunt, morbum aut antecedere aut ab ipso initio comitari profitentur, in hac erysipelatis neonatorum specie serius observantur. Cl. Doepp *) diem quintum constituit, quo saepissime symptomata haec intrare soleant. Ex affectione locali strictius illa pendere contendere nequeo, cum jam inflammatione acerbataque satis diffusa non apparuerint, jam signis morbi localibus fere remotis subito vehementissime intraverint. Abdominis vero parietibus aut capite affectis febrem semper fere adesse negari vix poterit. Notandum tamen mihi videtur, quas solas equidem morbi nostri memoriae traditas invenerim observationes, cl. Harder **) tres, unam experientissimi Lerche ***) unam denique doctissimi Weisse ****), omnes testari, erysipelas ab ipso initio febricitationes comitatas esse. Cl. Billard †) qui inter triginta erysipelatis neonatorum observationes octo per vaccinationem exortas profert, nullum, quod hac origine exsiterit, discrimen notavit; at verum etiam non semper erysipelas neonatorum morbum universalem esse constituit, quod infantum cutis, majore sensibilitate, quam adultorum praedita, per se ad inflammationes sit

*) Nr. 21. Bd. V. St. 324.

**) Nr. 21. Bd. 2. St. 113.

***) Nr. 21. Bd. 2. St. 126.

****) Nr. 21. Bd. IV. St. 33.

†) Nr. 20. St. 75.

propensa. Nec denique omitamus, cum in ipsis morbis inflammatoriis apud infantes tenuerrimos febricitationes interdum serius intrent, quod quidem de enteritide cl. Pieper *) testatur, erysipelas, morbum exanthematicum, eo saepius nulla febre comitante incedere posse.

Symptomata, quae omne jam corpus morbo laborare confirmant, eadem fere, quae ab auctoribus in erysipellate neonatorum enumerantur, quorum tamen nonnulla, cum saepius et ad gradum majorem evoluta observentur, prae ceteris exhibenda sunt. Calore corporis adaucto, inquietudine, respiratione accelerata febris in neonatis manifestatur; prae ceteris functionibus simul alimentorum concoctio turbatur, alvi excretionibus viridibus fluidisque, appetitu delicto, abdomine tenso, rarius vomitu intrante; interdum etiam aphusae conspiciuntur. Cl. Billard **), ubi de symptomatibus concoctionis turbatae loquitur, rarius status gastrici, quam enteritidis signa, se animadvertisse profitetur. Similia fuerunt in nostris observationibus, quamvis loco enteritidis peritonitidis symptomata; persaepe enim, parietibus abdominis aut regionibus vicinis erysipellate correptis, internae subito inflammationis conspiciuntur signa. Eandem sententiam cl. Wendt ***) protulit. Nec vero sym-

*) Nr. 15.

**) Nr. 20. St. 75.

***) Nr. 12. St. 96.

ptomata gastrica, quae majorem morbi nostri cum erysipellate adultorum constituunt similitudinem, omnino desiderantur; quae quidem praecipue in oculos prodit, si primis jam morbi diebus vomitus inurat, si, nulla febre, diarrhoea mitior, excretionibus tamen viridibus, adest, ipso appetitu interdum non turbato. In utroque casu icterus prodire potest, qui in erysipelatis decursu graviore inter symptomata creberrima est ponendus. Persaepe pulmones afficiuntur; tussi satis acerba vexatur infans, quae formam non raro induit convulsivam; cadaverum sectio etiam pleuram interdum inflammatione laborare docet.

Pustularum variolis vaccinis provocatarum evolutio jam satis progressa non turbatur si inflammatio brevi tempore evanescit aut ad alium locum, transit; pustulae vero per longius temporis spatium inflammatione vexatae majorem solito secernunt puris copiam. Si die secundo aut tertio prodit erysipelas, pustulae saepius omnino non formantur; in praecoci denique decursu interdum jam die tertio vesiculae in puncturae locis apparent, serum continentes flavum.

Saluberrimus morbi nostri exitus est resolutio quae post paucos dies saepius jam inurat, priusquam characterem localem inflammatio exuerit; sequitur illam quamplurimum sed non semper desquamatio. Per dies plures, priusquam ad normam redierit, cutem tensem quidem et paululum inflatam, coloris tamen albidi resii-

tisse, observationes nonnullae docent. Exitus alter in suppurationem duplici specie in conspectum venit: alias enim singuli formantur abscessus, quorum cl. Doepp *) in uno infante duodecim se observasse profert, eosque fere saluberrimo, alias suppuratio magis est expansa, quae febrem provocat, viribusque contritis mortis causam constituit. Rarior exitus in gangraenam, quae tunc in scroto aut in regione inguinali **) oritur; nec vero desunt observationes, quarum nonnullas experientissimus Dr. Hoefft benigne mecum communicavit, gangraenam in manibus pedibusque exstitisse. Rariores etiam sunt indurationes telae cellulosaee, quae postea plerumque suppuratione dissolvuntur. Erysipelatis transitus in organa interna qualia producat phaenomena, e re ipsa satis elucet; peritoneum prae ceteris tali impetui expositum. Restant post erysipelas interdum tussis, aut icterus, aut diarrhoea.

Sectio cadaverum. In locis erysipelate affectis tela adiposa plerumque indurata, candore insolito praedita reperitur; sub illa liquor serosus flavescens. In cerebro vasa superficialia non raro exculta. Pulmones interdum signa ostendebant inflammationis incipientis, quae tamen saepius atque magis conspicua in trachea et bronchis reperiebatur; rarius plenae rubes-

*) Nr. 21. Bd. V. St. 325.

**) Auctore Doepp; Nr. 21. Bd. V. St. 325.

cens cum liquore exsudato purulento. Peritoneum et omentum majus *) saepissime inflammata erant, fluidumque secreverant seroso-purulentum. Hepar et lien saepenumero aut magnitudine insolita, aut nimium rubescentia, aut emollita; vesica fellea felle turbido, viridi impleta. Tela mucosa ventriculi atque intestinorum rarius vasis quodammodo excultis **) praedita fuit.

Aetiologia. Ad causarum, quae in pathologia generali obvenit, divisionem spectantes facile nobis persuadebimus causam morbi nostri externam esse vaccinationem, quod omnibus observationibus tam dilucide manifestatur, ut morbi nomen ex eo constituendum esse censuerimus; momenta vero interna, praedisponentia, qualia sint, eo accuratius inquirendum est, cum, vaccinatione per tot annos atque inter tot populos exculta, morbus noster hucusque rarissime observatus et fere nullibi ad novissima tempora usque descriptus sit. Momenta tamen illa non diu lectorem benevolum latebunt, cum infantes in hospicio infantum inventorum propter institutiones vix mutandas, a cl. Doepp ***) latius expositas, jam secunda vitae hebdomade

*) Auctore defuncto Dr. Schubersky.

**) Similia ex parte in necroscopiis erysipelatis neonatorum a cl. Osiander et Walsbam institutis inveniuntur; conferatur Nr. 14.

***) Nr. 21, Bd. V. St. 325.

suuta vaccinari soleant. Cutis enim infantis tenerrimi permagna sensibilitate praedita, prima normali epidermidis desquamazione vix perfecta, non solum ictu laceratur, verum etiam vulnere materia aliena contagiosa intruditur, pustulae denique eruptae interdum discinduntur. Quae omnia fieri ne omittamus in infantibus, primis plerumque vitae diebus quammaxime neglectis, in progenie parentum, tum scrophulosis, tum lue venerea aut hydrargyrosi infectorum omnibusque infimae plebis morbis laborantium. Adjiciamus adauctam hac aetate, quae etiam alias intrare solet erysipelas, tractus intestinorum et hepatis praesertim ad morbos proclivitatem, summumque eorum cum cute consensum, quibus ad supra allata morbi nostri symptomata interna dispositio satis enunciat; quid mirum ex his morbum prodire erysipelati neonatorum, quale ab auctoribus describitur, simillimum *). Major pustularum copia secundum clarissimi Doepp experientiam ad erysipelas procreandum nihil valet; cum vero pari fe-

*) Notandae clarissimi Harder observationes erysipelatis post vaccinationem in infantibus, primo annorum duorum, altero mensium duorum, tertio mensium quinque, et virorum doctissimorum Leroche et Weisse, utroque infante mensium sex, quarum tamen numerus exiguus, etsi aetate etiam magis provecta vaccinationem erysipelas producere posse testatur, non impedit quominus morbum nostrum tenerrimae aetati proprium esse contendamus.

re semper vaccinatorum numero in hospicio jam major jam minor infantum copia erysipelate afficiatur, testante eodem auctore, constitutio annua ad morbum provocandum aliquid facere videtur. Duo denique adsunt exempla quibus satis demonstratur per insitionem lymphae e pustulis infantis erysipelatosi sumtae morbum propagari *).

Prognosis ex eo praecipue pendet, utrum infans jam morbi initio medici curae tradatur, nec ne. In magno enim aegrotorum numero per remedia apta extinguitur morbus, priusquam magis expandi possit. Sin vero affectionis internae apparent symptomata, quod praecipue accidit, si abdominis parietes oblegit inflammatio, omnia valent, quae ab auctoribus laudatis de erysipelatis neonatorum prognosi prolata sunt. Convulsiones, in hospicio infantum inventorum rarius observatae, in morbo nostro minoris momenti esse videntur **).

*) Другъ здравія 1855. Nr. 19. Шеснадацатый годовый отчетъ врачебнаго общества etc. Dr. Weiske, quo loco die nono mensis Martii 1834 cl. Doepp in novem infantibus erysipelas in brachio sinistro se observasse enarrat, cum lymphæ iis insita esset ex infante, qui post horas nonnullas in erysipelas incidit, pustularum areola tum jam paululum diffusa.

**) Affero haec cum aliis plerisque annotationibus e verbis praeceptoris honoratissimi, professoris

Curatio morbi nostri, qua in hospitio infantum expositorum medici nunc utuntur, cum morbus ex initio sit localis, remediis etiam externe agentibus incipitur. Instituuntur enim scarificationes in ipsa cutis superficie erysipelatosae eo modo, ut sanguis singulis guttis prodeat, variisque locis, modòne nimium sit expansa inflammatio neve affectionis internae apparuerint symptomata, reiterantur. Imponuntur tum laciniae molles, calefactae, tum siccae, tum oleo imbutae. Hac curandi methodo *) quam cl. Doepp invenit atque primus in usum vocavit in majori aegrotorum numero ipsa origine morbus extinguitur. Si major in locis quibusdam intrat inflammatio cum duritie et suspicione abscessus, cataplasmata imponuntur emollientia atque abscessus quam citissime discinduntur. Summa ceterum munditia et tegumenta mollia locis ab erysipelate relictis imponenda non negliguntur. Gangraenae ingruenti solita opponuntur remedia.

Interne initio quidem nihil, cum vero sordium intrent signa et functionis hepatis turbatae cum evacuantia in genere, tum TRa Rhei aquosa praecipue adhibentur; si inflammationis in-

in universitate litterarum Dorpatensi Walter, cujus observationibus me non accuratius in dissertatione elaboranda uti potuissem quammaxime doleo,

*) Nr. 21. Bd, V. St. 326.

ternae symptomata adsunt medicamina antiphlogistica, atque prae ceteris Calomel. Contra diarrhoeam saepius Decoct. Salep. addita interdum TRA Opii simplici porrigitur. Pectoris affectiones alique qui ingruunt morbi, e propria uniuscujusque indole curantur.

LIBRI CITATI.

- 1) Abhandlung über die Krankheiten der Kinder von Dr. Christ. Girtanner. 1794.
- 2) Nils Rosen von Rosenstein Anweisung zur Kenntnifs und Kur der Kinderkrankheiten, übers. von Murray. 1798.
- 3) N. Chambou über die Krankheiten der Kinder, übers. von Becker. 1801.
- 4) Handbuch über die Krankheiten der Kinder von Karl Bernhard Fleisch. 1805.
- 5) Handbuch zur Erkenntnifs und Heilung der Kinderkrankheiten v. Adolph Henke. 1821.
- 6) Lehrbuch der Gynaekologie, von Carl Gustav Carus. 1828.
- 7) Von den Krankheiten des Menschen, von Carl Georg Neumann. Bd. 1. §. 131.

- 8) Traité des maladies des enfans, de Michael Underwood, trad. par Eusébe de Salle. 1823.
- 9) Handbuch zum Erkennen und Heilen der Kinderkrankheiten von Dr. Johann Christ. Gouf. Joerg. 1826.
- 10) Die Kinderkrankheiten, systematisch dargestellt vom Dr. Joh. Wendt. 1822.
- 11) Paediatric von Joh. Teiler. 1814.
- 12) Handbuch der Kinderkrankheiten, v. Willh. Rau. 1852.
- 13) Beobachtungen über die Krankheiten der Neugeborenen, v. Dr. Heyfelder. 1825.
- 14) Sammlung kleiner Abhandlungen und Beobachtungen über die Rose der neugeborenen Kinder, von D. J. C. L. Reddelien. 1802.
- 15) Die Kinderpraxis im Findelhanse und in dem Hospitale für Kranke Kinder zu Paris, von Dr. Phil. Ant. Pieper. 1851.
- 16) Die Schutzpockenimpfung in ihrer endlichen Entscheidung als Angelegenheit des Staats, der Familie und des Einzelnen, v. Georg Friedr. Kraufs. 1820.
- 17) Die Kinderkrankheiten nach den neuesten Ansichten und Erfahrungen etc., v. Fried. Ludw. Meissner. 1828.
et
Was hat das 19te Jahrhundert für die Erkenntniß und Heilung der Kinderkrankheiten gethan? v. 1801—25 und v. 1826—32, v. Fried. Ludw. Meissner.
- 18) Encyclopädisches Wörterbuch der medicinischen Wissenschaften, von Busch, Graeffe,

- Hufeland, Link, Müller. Bd. 11. Heft 3.
St. 488.
- 19) Theoretisch-practisches Handbuch der Chirurgie, v. Joh. Nep. Rust. 1832. Bd. 6.
St. 449.
- 20) C. Billard, Krankheiten der Neugeborenen und Säuglinge. Uebers. v. Fried. Ludwig Meissner. 1829.
- 21) Abhandlungen aus dem Gebiete der Heilkunde von einer Gesellschaft practischer Aerzte in St. Petersburg. Bd. 2, 4, 5.
-

OBSERVATIONES MORBI.

1. Nicolaus, die septimo mensis Maji anni 1835 natus; materia variolae vaccinae ejusdem mensis die vicesimo primo insita pustulas octo in brachiis procreavit. Die mens. Junii tertio in utroque brachio circum pustulas erysipelas exortum; scarificationibus institutis inflammatio fracta est; die sexto Junii morbus jam omnino evanuerat.

2. Alexandra, die 7mo Aprilis anni 1835 nata; vaccinata die Maji 24to, pustulae ortae sunt duodecim. Die Junii tertio erysipelas in brachio sinistro intravit, antibrachium simul obtegens et dorsi partem. In hac tota regione scarificationes instituae. Jam quinto Junii die tantum paullulum ruboris in dorso remanserat, qui sequenti jam die frustra requirebatur.

3. Matthaeus, die 6to mens. Augusti 1831 natus, materia variolae vaccinae insita die Augusti 21mo sex pustulas produxerat. Die 5to Septembris, cum in nosocomium reciperetur, pustulis cicatrisatis, brachio jam fere restituto, antibrachium sinistrum cum manu et parva pe-

ctoris parte erysipelas corripuerat. Die 6to Septembris a brachio sinistro decessit morbus, in sola manu tumore laxo relicto, brachiumque dextrum obduxit. Die 8vo Sept. jam brachium dextrum totum corripuit; d. 9no in antibrachio praecipue erysipelas erat evolutum, quo tamen die sequente jam restituto, d. 12mo infans ex omni parte sanus dimissus est.

4. Procopius, die 20mo Julii anni 1831 natus; materia variolae vaccinae insita d. 25to mens. Augusti pustulas octo produxerat. Die 5to Septembris erysipelas a pustulis, magnam puris copiam seceruentibus, in brachio dextro incepit atque manum versus tendebat; D. 6to manus praecipue correpta; d. 8vo infans praeter dignos adhuc inflatos liber, d. 10mo jam sanus haberi potuit.

5. Natalia, d. 20mo Augusti 1831 nata; materia variolae vaccinae insita d. 4to Septemb. duas procreaverat pustulas. Die 13o Sept. in brachio dextro circum pustulas erysipelas exortum, d. 14to ad cubitum et antibrachium transiit. D. 15to jam sola manus erat inflammata, quae cum nonnullos post dies jam omnino esset restituta, subito d. 22do denuo erysipelas in pectore, brachio et ulna lateris dextri erupit. Die vero 25to ubique evanuerat.

6. Martha, die primo mens. Sept. a. 1831 nata; d. 15to Sept. materia variolae vaccinae insita, pustulas duas procreavit. D. 25to ejusdem mensis, cum die praecedente lymphæ esset

desumpta e pustulis, in brachio dextro erysipelas exortum est, humerum dimidiamque partem antibrachii obtegens, ceterum infans sanus. Die 27mo rubore paululum imminuto, intumescencia loci allati adhuc permagna, omne simul pectus dextrum erysipelas obtexit. Diarrhoea intraverat, quam Dec. Salep. oppugnare medicus studuit. D. 29no brachium dextrum adhuc tumefactum, nec etiam pectus omnino liberum erat. Primo Octobris die ubique erysipelas imminutum, infans vero tussiebat. Adhibito Syr. Althaeae tussis simul cum erysipelate medio Oct. mense omnino evanuerat. Desquamatio nulla.

7. Johannes, natus die 8vo mens. Septembris anni 1831; materia variolae vaccinae insita die 23. Sept. pustulas duas procreavit. Primo die Octobris erysipelas, quod brachia et dorsum jam peragraverat, regionem ossis sacri ossiumque ilei occupavit. D. 4to erysipelas ad femora transgressum; scrotum magnopere turgidum, penis oedematosus. Propter alvi excretiones admodum liquidas colorisque viridis, Dec. Salep. c. Tinct. Opii simpl. praescriptum. D. 5to rubor ad crura magis se contulit, in pede dextro flavescens; oedema penis imminutum; in scroto abscessus. Alvi excretiones virides. Praescripta Tinct. Rhei aquosa et cataplasmata emollicentia scrotum apponenda. D. 6to in latere dextro femur totum simul cum crure affectum est, in sinistro femur ad genu usque; ulcus in scroto, diametri pollicis fere unius, fuit impurum, fundo flavescenti-albo; cataplasmata continuata; propter diarrhoeam Tinct. Rhei aquos. praebita. D. 8vo ubi-

que evanuerat erysipelas nisi in parte inferiore dorsi dextra; crus dextrum tumidum. Scrotum jam magis collapsum, ulceris habitus melior; ungt. basilic. imponebatur. Epidermidis color fere ictericus; porrigebatur Tinct. Rhei aq. D. 10mo erysipelas iterum brachium dextrum corripuit, in antibrachio ad manum usque proropens. D. 15. manum praecipue insedit. In scroto cicatrix jam formabatur. D. 16to erysipelas evanuerat; manus dextra oedematosa. Idem fere status d. 18vo. D. 23. erysipelas subito in dextro pectoris latere et in fossa axillari dextra protupit. Ceterum nihil notandum. D. 25to decursu lentiore atque rubore imminuto ad medium pectus erysipelas sese converterat. D. 29mo in femoribus et scroto, vulnere vix cicatrizzato, erysipelas apparuit. Corporis calor adauctus, inquietudo; alvi excretiones coloris viridis fuerunt, quin etiam frequentes; ex d. 26to jam quater per diem calomelanos gr̃ß porrigebatur. Diarrhoea sensim imminuta infra die Novembris 10mo sanus e nosocomio dimissus.

8. Catharina, nata die nouo mens. Augusti anni 1831; materia variolae vaccinae die Augusti 21mo insita. Jam die 25to Aug. in morbum nostrum incidit; d. 28vo, quo in nosocomium recepta est, in utroque brachio aderat erysipelas, in dextro ad summos digitos, in sinistro ad cubitum usque. Pastulae fricando apertae, in brachio dextro confluentes, crustis obiectae. D. 30mo ad os sacrum jam pervenerat erysipelas. D. 31mo supra ossa ilei exstitit morbus; brachium dextrum reliquerat, sinistrae

vero manus articulum corripuit. Sensim prorep-
pendo die 6to Septembris partem inferiorem
utriusque cruris obtexit, pedibus maxime tumi-
dis, sinistro praecipue rubescente; praeterea in-
fans sanus. D. 6to in planta pedis sinistri ve-
sica pellucida, circumferentia modica, exstitit;
simul maculae coeruleae observabantur, quae in
dextro etiam pede aderant. In reliquo corpore
morbus desierat. Febricitationes intrabant. Pe-
dibus cerat. simpl. impositum. D. 7mo vesica
illa rupta fluidum serosum emisit. D. 8vo ejus-
dem naturae vesica in pede dextro simili mo-
do in ulcus abiit; praeterea infans sanus. Ul-
ceribus cerat. simpl. impositum. In malleolo
externo pedis dextri abscessus cultro apertus
est; ulceribus illis in planta pedis, cum habitum
depravatum prae se ferrent, ungt. basilic. appli-
catum. D. 15to ulcera minora habitus melioris,
die 25to jam cicatricibus erant obducta; die
20mo mensis parvulus adhuc in pede sinistro
abscessus discissus est. A morbo nostro infans
restituta, nulla facta desquamatione, in exan-
thema vesiculosum chronicum incidit.

9. Elisabetha, nata die 29no Augusti 1831,
vaccinata die 29mo Septembris. Die 5to Octo-
bris in brachio sinistro erysipelas exstitit, forma
mitiori; die 6to magis excultum, antibrachium
et humerum attigit. D. 8vo medium dorsum
obtexit. D. 11mo locis reliquis relictis in supe-
riore regionis sacralis parte praecipue erat ex-
cultum, ad abdomen et femora prorepens; in
ulna simul dextra apparuit. D. 13mo brachio
dextro sanato, utrumque femur et crus dextrum

obduxit. Labia majora oedematosa. Infans languida erat atque vomebat, appetitu deleto. Praecepta TRA. Rhei. aq. D. 16to, pedibus tumidis quidem erysipelas tamen imminutum. Labiorum oedema decesserat; appetitus adauctus. Continuatur Tinct. Rhei aq. D. 18vo intumescencia jam exigua reddita in cruribus desquamatio intravit; exstitit rubor in gena dextra. Infans icterica et languida, appetitu alviq. excretionibus a statu normali non aberrantibus. Porrigebatur Tinct. Rhei. aq. D. 20mo in gena dextra, rubore imminuto, intumescencia adhuc cum duritie aderat. D. 23mo erysipelas omnino jam aberat; intravit tussis, forma fere convulsiva, quae tamen post duas hebdomades, remediis apertis adhibitis, remota est.

10. Nicolaus, natus die 8vo Septembris 1831; materia variolae vaccinae insita die Sept. 23mo, pustulas tres produxerat. Jam die 25to in dextro brachio erysipelas apparuit; in locis punctis vesiculae exstiterunt parvulae, fluido flavo repletae. D. 27mo recesserat erysipelas a brachio dextro, articulumque manus annulo rubro, latitudine pollicis unius, circumdedit; ad humerum sinistrum simul et dorsi partem superiorem progressum est. Alvi excretiones virides. Porrigebatur Tinct. Rhei. aq. D. 29no erysipelas manum dextram usque ad summos digitos corripuit, brachium ad cubitum, omneque dorsum ad os sacrum usque, in latere sinistro partim etiam abdominis obtegens. Alvi excretiones eadem, idemque remedium. D. primo Octobris in brachio dextro morbus fere

evanuerat, in sinistro antibrachium obduxit. Dorso jam libero clunes erant correptae, femoris dexteri dimidium et pars quaedam sinistri; scrotum perturgidum. D. 4to Oct. erysipelas crura et articulos pedum obtexit; femora et scrotum fere reliquerat; manus sinistra vehementer inflammata. Porrigebatur Decoct. Salep. D. 5to pedes per erysipelas valde tumefacti; manus sinistra in statu meliori. In humero dextero et gena sinistri lateris maculae erysipelatosae subito exstiterunt. Alvi excretiones virides. Porrigebatur Tinct. Rhei. aq. D. 6to a gena sinistra rubor nasum versus tendebat; humerus dexter valde tumefactus, rubore et calore magnopere adhaesit. In pedibus erysipelas imminutum. Status reliquus idem. D. 8vo omne dorsum iterum erysipelate correptum a collo usque ad os sacrum, pectus simul et dextra abdominis pars; manus dextra perturgida; in pedibus inflammatio imminuta, deleta jam rubore. D. 10mo toto fere corpore rubor evanuerat nisi in femoribus, quorum dextrum ad pedem, sinistrum ad genu usque occupavit. Alvi excretiones virides; praescripta Tinct. Rhei. aq. Supra aurem sinistram in partibus, quae capillis teguntur, rubor exstitit levior, nulla intumescencia. Post nonnullos jam dies omnino erysipelas in capite evanuerat, nec praeter pedes adhuc tumidos morbi signum in corpore conspici potuit. Alvi tamen excretiones virides, atque aphthae apparuerunt. Appetitus normalis. D. 16to status idem; ne in pedibus quidem intumescencia restitit. Quae aegri conditio cum ad diem

mensis 20mum perdurasset, Tinct. Rhei. aq. continuo adhibita, desquamatio, squamis parvulis, intravit. Rediit denuo die 22do erysipelas in pede sinistro, rubore saturato magnaue intumescentia. Alvus deponebatur viridis. D. 25to jam aufugerat erysipelas, alvi vero excretiones adhuc virides, quamquam satis raras. Porrigebatur constanter Tinct. Rhei. aq., balneumque praescriptum, quibus remediis, erysipelate non redeunte, infans sanatus et quinto Novembris die demissus est.

11. Zacharias, natus die 7mo Septembris 1831; materia variolae vaccinae insita die Septembris 22do pustulas produxit octo. — Die Octobris 5to erysipelas in brachio sinistro exortum, 6to ad humerum et antibrachium progressum est, rubore saturato, tumore permagno. D. 8vo ad digitos praecipue se convertit; infans inquietus. Porrigebatur Tinct. Rhei c. Magnes. D. 10mo humerum dextrum attingit cum brachio; in manu sinistra inflammatio fuit imminuta. Medicamina eadem. Die mens. 13o antibrachium dextrum cum manu maxime morbo laborabat; simul in regione ossis ilei dextri inflammatio erupit. D. 16to femur obduxit utrumque atque partem dimidiam cruris dextri. Appetitus normalis, infans ictericus, inquietus; praeceptum bis per diem gr. $\frac{1}{2}$ Calomelanos et Tinct. Rhei aq. D. 18vo crura praecipue ac pedes inflammatione correpti; in femoribus et brachiis desquamatio aderat. Idem status die 20mo tumore tamen pedum imminuto. Infans

magis quietus; remedia eadem. D. 23o erysipelas pariter atque icterus in melius se vertebant. Balneum praeceptum, Tra. Rhei aq. Post hebdomades duas infans ex omni parte sanus.

12) Natalia, nata die 25to mens. Augusti 1831; vaccinata d. 29uo Septembris. Primo die Octobris, pustulis nondum evolutis, erysipelas in dextro brachio et supra scapulam apparuit, magna intumescencia, minore tamen rubore; alvus deposita fluida, coloris viridis. Porrigebatur Dec. Salep. c. Tra. Opii simpl. D. mens. 4to erysipelas in brachio dextro imminutum, tum antibrachium et manum obtexit, tum omne pectus, superiorem dorsi partem, sinistrumque humerum cum brachio; diarrhoea non desierat; remedium idem. Die 5to in brachio dextro erysipelas jam evanuit, sola manu paullulum tumida, totum vero sinistrum corripuit brachium, mediamque dorsi regionem, superiore cum pectore jam restituta. Diarrhoea aberat. D. 6to in brachio sinistro nihil mutatum; erysipelas ad regionem ossis sacri et superiorem femoris dextri partem progressum. Diarrhoea reddiit; praescriptum Dec. Salep. D. 8vo brachium sinistrum ab inflammatione liberum; in crure dextro erysipelas praecipue erat excultum ad articulum pedis usque, in femore imminutum; in femore sinistro ad genu usque prodiit. D. 10mo in dextro crure et pede erysipelas multo mitius, in sinistro magna intraverat intumescencia, rubore minore. Cutis coloris fere icterici; alvi excretiones frequentes, attamen exi-

guae nec virides; praecepta TRa. Rhei aq. D. 13. erysipelas, omni jam corpore relicto, pedibus tantum quodammodo inflatis, in genis subito apparuit. A die mens. 12mo cutis color statum ictericum clare nuntiabat, appetitu imminuto, alvi excretionibus crebris et fluidis, non vero aberibus. Abdomen non nimium inflatum. Porrigebatur Calomelanos gr. $\frac{1}{2}$ et TRa. Rhei aq. D. 16to nullum jam erysipelatis signum remansit praeter crura et pedes tumore magno ac duro obductos; cutis impure flava; alvus fluida, mammas tamen infans petebat. Praeceptum Calom. gr. $\frac{1}{4}$ bis per diem. D. 18vo pedes jam minus turgidi, diarrhoea perdurante, appetitu adaucto. Porrigebatur Tinct. Rhei aq. et Dec. Salp. D. 20mo pedes jam fere in statu normali. Supra olecranon utriusque brachii abscessus exstiterunt, quibus empl. resinosum impositum. Nulla in corpore desquamatio; diarrhoea aderat, appetitus normalis. Praescriptum Dec. Salp. c. Opio. D. 23. abscessus illi aperti sunt, iisque cataplasmata emollientia imposita; diarrhoea non desiit; remedium idem. D. 25to diarrhoea imminuta; abscessus in ulcera mutati, iisque ungt. basilic. applicatum. Sensim vires redibant; die mensis 28mo balneum praeceptum, dieque 30mo ex omni parte infans sana haberi potuit.

13) Johannes, die 8vo Septembris 1831 natus; materia variolae vaccinae die 25. Sept. insita. Die mens. 25to erysipelas in brachio dextro exstitit circum puncturas, rubore satu-

rato ab humero ad manum usque diffuso, jamque in brachio dextro quatuor vesiculae in conspectum venerunt quae liquorem flavum continebant; ejusdem generis quinque in brachio sinistro. D. 27mo in brachio erysipelas imminutum manum magnopere inflatam occupavit, et ab humero dextro simul trans nucham serpens jam fere sinistrum attingit. Vesiculae illae, ambitu imminutae, nec liquorem amplius continebant, nec crustas formaverant, epidermide collapsa tectae. D. 29no omne dorsum erysipelas obtexit usque ad regionem ossis sacri; in latere sinistro ad abdomen spectabat. Primo Octobris die utrumque femur usque ad genu occupavit, simulque scrotum, magnopere turgidum; reliquum corpus restitutum. D. 4to morbus crura invasit, tumore magno admodum duro, colore flavescenti rubro. Infans debilis, mammae respuebat; conspiciebantur aphthae. Porrigebatur Tinct. Rhei aq. et Calomel. Nocte obiit.

14) Elisabetha, die primo Septembris 1831 nata, infans debilis; materia variolae vaccinae d. 16to Sept. insita, pustulas novem produxit. D. 24to erysipelas dimidiam brachii partem, humerum et pectus lateris dextri jam corripuit, rubore saturato, magnoque tumore. D. 27to latus dextrum fere sanum; brachium, simulque dorsum et pectus lateris sinistri occupavit morbus; cetera secundum normam. D. 29no erysipelas regionem trochanteris majoris utriusque femoris, regionem ossis sacri et superiorem femoris partem corripuit; in pectore et brachio

sinistro desquamatio intravit. Die primo Octobris femora tota erysipelatosae; d. 4to crus utrumque affectum, tumore magis exculto quam rubore. D. 5to in dextro tantum crure atque pede remanserat intumescencia, reliquae partes saevae; d. 6to crus dextrum cum pede restitutum, manus sinistra inflammatione gravi correpta. D. 8vo manus sinistra oedematosa; crus dextrum tumidum, rubor nullus; infans languida. D. 10mo crure dextro adhuc tumido, infans admodum debilis, toto corpore coloris impure icterici, desquamatione ubique incipiente; appetitus imminutus. Porrigebatur Tinct. Rhei aq, balneoque vespere infans immissa. Nocte obiit.

15. Miron, die 17mo mensis Augusti 1831 natus; die 23. Septembris materia variolae vaccinae insita; D. 27mo Sept. erysipelas a scapula sinistra incepit, adaucto corporis calore magnaue infantis inquietudine; tussis simul aderat et diarrhoea. Jam pustulae prodierunt parvulae, lymphae turbidae repletae, quin etiam ex parte crustis obiectae. Porrigebatur Dec. Salep. et Tinct. Rhei aq. D. 29no erysipelas totum pectus corripuit; supra regionem ossis ilei sinistri inflammatio exigua. In dorso jam epidermis dehiscebat. Diarrhoea adhuc aderat; praescriptum Dec. Salep. c. Tinct. Opii simpl. D. primo Octobris clunis dextra et pars superior utriusque femoris erysipelate correptae; pectus et dorsum libera; manus sinistra paullulum inflata; diarrhoea nondum sedata. D. 4to femore resilio erysipelas crus oblexerat, tumore perdu-

ro, rubore flavescente. Tussis aderat; sulph. antim. aurat. porrigi jussum; diarrhoea adhuc Dec. Salep exposcere videbatur. D. 6to quamquam imminutis intumescencia et rubore infans tamen debilis, mammas raro petebat, totaque corporis superficies erat coloris sordide-flavi. Aderant etiam diarrhoea atque tussis satis vehemens. Praecepta: Sulph. Antim. aur. c. Calomelane; — Decoct. Salep. D. 8vo paullulum adhuc tumoris in pede restitit, nullus rubor; color ictericus adauctus; infans languidus, appetitus delevis; diarrhoea sublata, tussis vero in formam convulsivam abire videbatur. Porrigebatur pulv. Plummeri; Tinct. Rhei aq., et praeterea emeticum, cum pectus nimia muci copia opprimi videretur. D. 29no tussiendo sanguinis paullulum evomit infans. Nocte obiit.

16. Constantinus, die 7mo mens. Maji anni 1835 natus; materia variolae vaccinae insita die 25to Maji, sedecim pustulas produxerat. In utroque brachio die 3. Junii exortum erysipelas circum pustulas, multo majore tamen gradu in brachio dextro, cujus antibrachium jam occupaverat, rubore saturato subcoeruleo; minore gradu in dorso; brachium dextrum scarificatum. D. 4to rubor imminutus quidem, manum tamen obtexerat, quae hac ex causa scarificata est. Posthac morbus magis magisque imminutus die Junii sexto evanuerat; rediit vero subito die Junii 10mo in brachio sinistro a pustulis ad manum usque, colore non nimis saturato, tumore vero tenso, abscessus suspicionem injiciente. D. 11mo

macula livida supra olecranon apparuit, quae die sequente in abscessum mutata est. Febris simul intravit, virium debilitas, appetitus immixtus; die mens. 13mo infans mortuus.

17) Maria, nata die 25mo mensis Martis anni 1835; materia variolae vaccinae insita d. 25to Maji pustulas procreavit undecim. Die 4to Junii erysipelas in utroque brachio exortum, a sinistro ad dorsum prorepens; scarificationes institutae; d. 5to morbus dorsum magis obtexerat, quod propterea scarificatum est. D. 6to totum brachium sinistrum cum dorso valde tensum; abdomen inflatum, si premebatur valde resistebat; vasa ejusdem superficialia venosa summo pere exculta. Nocte sequente obiit infans.

Cadaveris sectio. In fundo abdominis fluidi subflavi aliquantulum repertum; in intestinis interrupte vasa injecta. Hepar et lien, qui magnitudine insolita repertus est, facile disrumpebantur; vesica fellea felle turbido viridi repleta. Vesica urinaria lotio carebat. Pulmones in parte inferiore, quae minus etiam crepitabat, paullo majore sanguinis copia praediti. Trachea mucosum abundabat, telae mucosae vasis satis sanguine injectis. In cordis atrio destro massa polyposa reperta. Cerebrum tum pallidum, tum nimis molle, vasis minoribus supra gyros praecipue excultis. In omnibus brachii sinistri locis erysipelatosis tela adiposa peralba et indurata, tantum difficultate quadam discindebatur; sub illa liquoris serosi aliquantulum in con-

spectum prodit. Minore in gradu haec omnia in dorso et brachio dextro.

18. Simon, natus die 30mo mens. Augusti 1851, materia variolae vaccinae insita die 20mo Septembris pustulas novem procreavit. Die 27mo erysipelas in brachio sinistro exortum, ab acromio ad articulum manus dilatatum, pectus et dorsum versus tendebat. D. 29no latera abdominis et regionem ossis sacri attingit, supra sinistri femoris articulum praecipue excultum. D. primo Octobris e locis allatis jam decesserat, femora ad genua usque obtegens; digiti manus sinistrae simul inflammatione correpti. Alvi excretiones virides. Porrigebatur Tinct. Rhei aq. D. 4to Octobr. erysipelas ad crura pervenit, regione supra articulos pedum praesertim inflammata; simul regionem ossis ilei sinistri obtegit, ad dorsum paululum prorepens. Antibrachium dextrum adhuc tumidum, annulo rubro articulum manus cingente. D. 5to rubor a dorso ad latus sinistram abdominis transgressus; pedes summopere turgidi; in antibrachio dextro nihil mutatum. Alvi excretiones virides. Praecepta Tinct. Rhei aq. D. 6to rubor ubique imminutus; infans tamen languidus, mammas raro petebat, faciei musculis dolore convulsis. Alvi excretiones ejusdem coloris. Praescriptum calomel. D. 8vo dextri lateris manus et crus adhuc tumore obducta; infans viribus destitutus, alvi excretionibus viridibus, quamquam non crebris. In utraque gena et ad aurem sinistram erysipelas subito exstitit, naso non correpto. D. 9no frons

paullulum affecta, partibus capillis obiectis sanis. Universa cutis superficies colore subflavo, ictérico. Praecepta: Tinct. Rhei aq.: — Calomel. D. 10mo erysipelas evanuit, solis pedibus paullulum inflatis; infans admodum debilis, colore ictérico adaucto; Tinct. Rhei aq. D. 12mo observatae sunt febricitationes; praescriptum Calomel. D. 15mo febris, inquietudo maxima; abdomine inflato alvi excretiones frequentes, aphthaeque aderant. Tinct. Rhei aq., Calomel. D. 14to mortuus.

Cadaveris sectio. Cerebrum sanum, vasis superficialibus sanguine quodammodo dilatatis. Pulmonum pars posterior sanguine magis repleta. In cavitate abdominis libra fere una liquoris flavi, purulenti, satis tenuis; omentum majus inflammatum, colloque transverso leviter adhaerebat. Inter ventriculum et colon lymphæ coagulata ejusdem coloris, quo clucere videbatur, fluidum istud ex omento majore esse secretum. Intestinorum tenuium membrana mucosa rubescens; ventriculus et colon sana. Peritonaeum rubescens. Vesica urinaria sana, lotio repleta. Hepar et lien a statu normali non aberrabant.

19. Jekim, die 3vo Sept. 1851 natus; materia variolæ vaccinae insita die 23mo Sept. Die ejusdem mensis 30mo, pustulis nullis formatis, erysipelas incepit, dieque primo Octobris a brachio dextro ad cubitum transit. D. 4to Octobris, brachio prorsus, antibrachio vero ex parte relicto, ab humero dextro sinistrum versus tende-

bat. Contra tussim nuper exortam Syr. althaeae in usum vocatus. D. 5to erysipelas brachium sinistrum attigit, et per dorsum descendit. D. 6to vehementissima apparuit inflammatio in brachio sinistro et parte antibrachii; minor in dorso ad regionem ossis sacri usque. D. 8to in antibrachio sinistro jam decrescebat inflammatio, summa vero vi, rubore in coeruleum abeunte, magnaue intumescencia, clunes et externam femorum partem corripuerat. D. 10mo rubore haud imminuto, ad genu erysipelas progressum; penis oedematosus, scrotum rubefactum quidem sed non turgidum; abdomen etiam affectum, rubore tamen minus saturato. D. 13to regionem ossis sacri, clunes, dimidiamque femorum partem erysipelas nondum reliquerat; scrotum cum pene perturgidum. Pedes cum infima crurum parte affecti quidem, in melius tamen se jam vertebant; manus sinistra tumida. His tantis simul praesentibus affectionibus erysipelatosi nec alvi excretiones, nec lotii emissio, nec appetitus ulla ratione a statu normali aberrabant. D. 16to erysipelas evanuerat nisi in cruribus pedibusque, tumore duro obductis; in clunibus, femoribus brachiisque desquamatio completa. D. 18vo pedes adhuc tumidi; desquamatio generalis. Nec appetitu nec alvi excretionibus mutatis infaus languidus, coloris icterici. Praescripta Tinct. Rhei aq. D. 21mo subito infans mortuus est postquam paulo ante suxerat.

Cadaveris sectio. Cerebri vasa superficialia vix injecta. In abdomine fluidi flavi aliquan-

tulam; omentum majus vasis colore saturato rubro injectis. In dextra pectoris parte circiter $\frac{3}{4}$ iv. liquoris exsudati lymphatici, ex parte coagulati. Pars pulmonis dextri anterior e rubro candicans cum locis quibusdam aperte inflammatis; pars posterior saturate rubra. Superficies pulmonum coagulo isto ex parte erat obiecta. Pleurae vasa satis exculta. Pulmo sinister et cor sana.

20. Michael, natus die 12mo Septembris 1831; materia variolae vaccinae insita die Sept. 28vo duas elicuit pustulas. D. 5to Octobris erysipelas in brachio sinistro a pustulis exortum ad cubitum usque progressum est. Sensim prosperendo die 8vo Oct. dorsi dimidiam partem cum collo corripuit, humerum tamen dextrum anigit, brachio sinistro restituto. D. 10mo a locis allatis jam decesserat, abdominisque latera et superiorem ossium ilei regionis partem obtextit. D. 13to utrumque femur et pars crurum in morbum inciderunt, nec etiam abdomen liberum; nunc primum in infante inquietudo quoque observata; praescripta Tinct. Rhei aq. D. 16to in cruribus pedibusque erysipelas imminutum ad manus subito transiit; superior abdominis pars adhuc inflammata. D. 18vo reliquerat morbus partes allatas, pedibus adhuc tumidis, exstitit vero subito in facie et occipite; in pedibus desquamatio. Jam ex die mens. 16to infanti bis per diem gr. $\frac{1}{2}$ Calomonalos porrigebatur propter colorem ictericum incipientem; qui cum magis excultus esset, infante languido

quidem appetitum tamen non deleto, gr̃ß ter per diem praeceptum. Die Octobris 19no incipiente, obiit.

Sectio cadaveris. Omne corpus coloris saturati sordide-flavi. In occipite circum fonticulum minorem inter cutem et ossa liquor serosus. Cerebri vasa sanguinis plena. Pulmonum lobi superiores dorsum versus majore sanguinis copia impleti. In cavo abdominis fluidi flavi 3vj; omentum majus inflammatum, peritonei vasa exulta. Intestina cum ventriculo sana reperta sunt.

1. The first part of the document is a list of names and dates, arranged in a vertical column on the left side of the page. The names are written in a cursive script, and the dates are written in a more formal, printed style. The list appears to be a record of some kind, possibly a list of births or deaths, as the names are followed by dates.